

antiphona seu aliquid simile, omnes alii Canonici ac etiam Beneficiati et clerici assurgunt praeter praedictos, qui Episcopo assistunt. Inter laicos quoque uno surgente ratione officii, ut cum datur illis incensum aut pax, ceteri quoque surgunt, secus vero surgentibus aliis non sui ordinis. Si Episcopus non celebraret, sed aliquis Suffraganeus vel alius Episcopus praesente ipso Episcopo, adhuc efficeretur alius chorus ministrantium celebranti, qui eandem regulam servare debent quoad sedendum et surgendum, prout de aliis dictum est. Cum autem Episcopus surgit, singuli chori tam Canonorum et Beneficiatorum quam laicorum et Celebrantis consurgere debent.

Caer. Ep. l. I. c. XVIII. n. 7—12.

## SEDES.

### 1) Abbatis

#### a) Assistantis.

Vd.: *Magistratus* (sedes); *Sedes Episcopi assist.*

Quidam Abbas seu Praelatus praetendit in *Missis sol.* Confraternitatum, quibus invitatus nec tamquam officians nec aliter quam in ordin. suo habitu interest, sibi competere sedem brachiatam seu majorem cum pulpito sive suggestu ante se velo violaceo vel purpureo et cooperto et posito in facie altaris cum pulvinaribus ejusdem coloris idque in quibusdam sacellis sitis in ipsa Cathedrali, in qua nulla capella est independens a choro et in qua actu residet Episcopus, quamvis non in ejus corporali praesentia.

S. C. resp.: Non licere omnia et singula memorata nec etiam extra Cathedrallem. N. 3128.

Die 23. Novembris 1686.

Non licet Abbati pro tempore Collegiatae s. Petri terrae Laureti

Pennen. uti sede cum postergali in assistendo *concionibus* aliisque publ. functionibus in ecclesia praesente capitulo. N. 3823 ad 1.

Die 22. Mart. 1710.

#### b) Assistente Episcopo.

Sedem pro Episcopo locandam esse in digniore parte chori sive ecclesiae cum ornatu congruo et gradibus ac situ superiori, respectu sedis Abbatis (exempti) qui praesente Episcopo, in suis ecclesiis Monialium exemptis sedere debet vel apud Episcopum a sinistris in sede camerale absque aliquo ornatu et gradu vel in parte ecclesiae e conspectu Episcopi, in loco tamen inferiori respectu sedis Episcopi, in alia sede similiter absque ornatu cum uno tantum parvo gradu non excedente dimidium palmi. N. 530.

Die 18. Mart. 1617.

#### c) Celebrantis.

Cf. *Postergale*; *Usus Pontificalium*. (praecipue decr. Urbani VIII.)

Abbates ubique, quando solemniter in propriis ecclesiis celebrant, contenti esse debeant sua propria et convenienti sede, quae locata esse debeat in cornu *Evangelii* in plano Presbyterii cum duobus tantum gradibus parvis et sine ullo suppedaneo, suggestu lapideo vel ligneo ac sine baldachino desuper, sed cum postergali tantum ex aliquo panno vel serico levi, sine auro coloris convenientis solemnitati, quae celebratur. N. 531.

Die 18. Mart. 1617.

Abbati s. Andreae *Congreg. Lateran.* Pontificalia celebranti juxta antiquam consuetudinem sedem cum duobus gradibus uti licere. N. 592.

Die 30. Mart. 1621.

Abbates Olivetani nullo modo teneant sedem abbatialem *fixam ac*

*permanentem* prope altare, ut sedes episcopalis retineri solet, sed eorum sedes retineatur in ecclesiis iis tantum diebus, quibus solemniter celebratur. N. 804.

Die 16. Mart. 1629.

Idem decretum de Abbatibus *Congregat. Camaldulens.* N. 966.

Die 21. Aug. 1632.

Contra praescripta in decretis Alex. VII. de anno 1659 edita\*) Abbati ss. Salvatoris Ord. Cisterc. Clusinae retinenti in sua ecclesia cathedram fixam et permanentem cum tribus gradibus non simplici serico panno sed pretioso ornatam S. C. resp.: Serventur decreta Alexandri VII. N. 3701.

Die 10. Mart. 1708.

### 2) Apostolica vacans.

(Ordinationes pro temp. S. ap. vacantis.)

Vd.: *Constitutio PP. Pii IV. diei 9. Oct. 1562* in Bullar. mag. rom. tom. II. p. 97 (ed. Luxemb.) De cibo, potu etc. servientium Cardinales in conclavi existentes vd.: *Constitutio Clem. VI. diei 6. Decembris 1351*; *ibid.* t. I. p. 258.

De damnatione simoniacae electionis Pontificis Rom. cum poenarum impositione in electum eligentesque et complices vd.: *Bullam Julii PP. II. diei 14. Jan. 1505, et confirm. hujus Bullae in Concilio Lateranensi diei 16. Febr. 1513 (4)*. (Bull. r. t. I. p. 466 etc.); *Constitutio Pauli IV. diei 6. Dec. 1558, ibid.* pag. 886; *Breve Leonis X. diei 61. Mart. 1516* contra offendentes Cardinalem etiam tempore Conclavis (*ibid.* t. I. 565); *Privilegia pro Conclavistis* vd. *Constitutio Clementis VIII. diei 9. Novembris 1592.* (*Ibid.* t. III. p. 22.);

\*) Vd.: *Usus Pontifical.*

Decreta authentica. Tom. III.

*Constitutio Pauli V. 31. Julii 1605.* (*Ibid.* p. 199.); *Const. Greg. XV. diei 16. Mart. 1620.* (*Ibid.* p. 418.); *Constitut. Urbani VIII. diei 6. Aug. 1623.* (*Ibid.* t. IV. p. 1.) *Constitut. Innocent. XII. diei 15. Julii 1692.* (*Ibid.* t. VII. p. 174.) *De rebus Sede ap. vacante agendis* vd. *Constitutio Clem. XII. diei 5. Octobris 1732.* (*Ibid.* t. XIV. p. 248.); *Constitut. Pii VI. diei 3. Jan. 1797 de elig. loco et die Conclavis.* (Bull. r. Continuatio t. X. p. 51); *diei 13. Novembris 1798 de obitu Pontificis extra rom. curiam, ibid.* p. 175.

*De nova Pontificis electione, si casus contigerit, ut illius obitus eveniet inter politicas perturbationes* vd. *Bullam Pii VII. diei 6. Febr. 1807.* (Bull. r. Continuatio t. XIII. n. 92.)

### 3) Archidiaconi.

#### Venafrana.

Exponentibus primiceriis seu dignitatibus Cathedralis ecclesiae Venafranae, Archidiaconum ejusdem non solum jampridem antiquam Episcopi privatam sedem usurpasse sed aliam novam, recentem pariter ornavam ac sumptuosiorum vetusta altiore sibi ad instar pontificalis construxisse cum scabello seu ligneo suppedaneo ac quam plurimis amplificata ornamentis ut ex planta ostensum fuit. Et petentibus atque instantibus mandari per s. Rituum Congregationem, quacunque tolerantia et immemorabili consuetudine non obstante, amoveri, et insuper decerni et declarari, nequaquam licuisse nec de caetero licere ipsi Archidiacono dictam sedem ornatam et altiore ac digniore canonicorum retinere sed omnino indifferenti scabello cum reliquis dignitatibus et canonicis imposterum uti debere eadem s. Congregatio, auditis juribus

hinc inde deductis, utraque parte informante, tam in voce quam in scriptis, referente Emmo Spinula Liccen. Episcopo, censuit, juxta petita praedictam sedem ornatam, de qua agitur, Archidiacono praefato distinctam a canonicis et dignitatibus ipsius Cathedralis ecclesiae non competere, sed omnino abolendam et ad instar aliorum sedilium primitiorum et canonicorum reducendam fore declaravit et ita decrevit et servari mandavit.

Die 30. Julii 1689.

(Anal. J. P. 1865 p. 1309 n. 2404.)

Vicario gen. obtinente digniorem locum a parte dextera Archidiaconus prima Dignitas debet obtinere primum locum a parte sinistra. N. 3296 ad 2.

Die 20. Decbr. 1692.

#### 4) Archipresbyteri.

*Ad dub.:* An Archipresbyter possit retinere in sua Ecclesia s. Blasii civitatis Aquilae sedem cameralem permanentem elevatam super duos gradus vel cum suppedaneo tantum, et quatenus negative, an illi liceat tantum in festivitate s. Blasii absque tamen gradibus?

S. C. C. resp.: Negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam, in actu tamen assistentiae celebrationi missae.

Die 4. Maii 1726 ad 6. *Nullius seu Aquilana.*

#### 5) Assistentium Episcopo.

Cf.: *Sedes Dignit. et Canon. (ad altare, decr. n. 4075). Assistens Episcopi (sedes). Sedes ministror. Sedes (Episcopi assist.)*

Sedem Dignitatis assistentis esse scabellum ligneum, quod tamen permittitur depictum vel aliqua forma pulchra fabrefactum, dummodo sit

nudum, nullo scilicet pano vel alia re coopertum in plano solii in partem dexteram Episcopi praeparatum atque eo loco et ordine situm, ut ipsa Dignitas et ad altare et ad faciem Episcopi respicere possit, qui locus dignior reputatur locis Diaconorum ministrantium. N. 21 ad declar. 7 die 23. Mart. 1592. N. 926 die 2. Aug. 1631.

Archidiaconum assistentem scabello sive sola rasa, quam vocant, prout ministrum decet, contentum esse debere. N. 79 die 20. Decbr. 1594.

Assistentes Episcopo pontif. celebranti ac in actu lavandi pedes pauperibus fer. V. in Coena Dom. in scabellis nudis debere sedere juxta Caer. l. I. c. VIII. et consuetudinem in oppositum esse abusum ideoque corrigendum. N. 3161 ad 1 et 2 die 3. Apr. 1688.

Assistens Archiepiscopo missas vel vespers sol. celebranti aut eisdem assistenti sedere debet super throno prope Archiepiscopum. N. 4358 ad 13 die 7. Decbr. 1771.

#### 6) Beneficiorum.

##### Urbis.

In causa vertente inter Beneficiatos ecclesiae Lateranensis ex una et Capellanos Beneficiatos ejusdem ecclesiae ex altera de et super loco sedendi in choro, referente Illmo D. Cardinale Muto, cui causa erat commissa, Sacra Rituum Congregatio censuit et decrevit capellanos praedictos sedere debere immediate post Beneficiatos in eodem scamno, seu, ut vulgo dicitur, hanco et ita servari mandavit.

Die 24. Aprilis 1627.

(Anal. J. P. 1863 p. 196.)

Vd.: *Sedes Cleri.*

#### 7) Canonicorum Cathedr.

##### a) In Choro.

##### Sutrina.

Canonicalem praebendam vacantem in Ecclesia Cathedrali Sutrina per obitum Canonici Pii Blasii Caprinuzzi in mense non reservato, a Reverendissimo Sutrino Episcopo assequutus est Canonicus Franciscus Spiridion Nesula, qui, cum alium canonicatum in eadem Cathedrali jam ante possideret et ratione suae antianitatis in priori chori stallo sederet, non prius novi Canonici possessionem adipisci curavit, quam antiquioris stalli retentioni Capitulum assentiretur. Data agitur a Capitulo fide plenoque consensu pro retentione prioris stalli sub conditione reportandi Beneplacitum Apostolicum intra decem dies, Canonicus Nesula possessionem nactus est, deindeque ut conditionem adimpleret et retentionem antiqui stalli assequeretur, preces SSmo dedit, quae sacrae huic Congregationi fuerunt remissae. Verum petitioni obstitit Canonicus Joannes Suscioli, qui tamen etsi jam monitus et expectatus, cum nihil adhuc deduxerit, idcirco dubium in calce transcriptum ab EE. VV. erit definiendum.

Retentionem antiqui stalli pluribus ex causis sibi competere sustinet Canonicus Nesula, et primo quidem ex descriptione sui nominis in eminentiori tabellae choralis loco, atque ex sui installatione ac possessione, quam tum Episcopo tum Capitulo annuente adeptus est. *Vivian de Jurepatr. part. 2. lib. 5. cap. 1. n. 102, Rot. cor. Buratt. decis. 249, n. 2 et in recen. decis. 168 part. 16, n. 2, ut proinde injuria videatur ipsum jure jam quaesito nactaque possessione privare, praesertim quia consensus etiam accessit Canonici Suscioli, cui non am-*

plius licet resilire, cap.: *de his, quae sunt a major. part. capit., Barbos. de Canon. et Dignit. cap. 38. n. 3, Card. de Luca, de canon. disc. 1. n. 9, Rot. in recen. dec. 88. n. 23. p. 6.*

Observat insuper Capituli consensum pro retentione antiqui stalli acquisivisse vim contractus et obligationis ob praecedentem a se emissam de non capienda novi canonicatus possessione promissionem nisi prioris stalli retentio concederetur; multoque magis post adimpletam conditionem petendi Beneplacitum Apostolicum, quod intra praefinitum decem dierum terminum expostulavit, atque ex hoc illud necessario sequi affirmat, quod adimpleta conditione Capituli consensus omnimodam executionem obtinuerit, quodque, dum Pontificis gratia expectabatur, nemini liceret contra proprium factum insurgere.

Neque opponi posse existimat s. Congregationis rescriptum, quo preces pro retentione antiqui stalli remissae fuerunt Episcopo pro Informatione et voto *audito Capitulo*. Respondet enim ideo demandatum fuisse, ut Capitulum audiretur, quia in supplici Libello expositus non fuerat Capituli consensus, non tamen ad exquirendum novum consensum, qui nunquam requiritur, si semel intercesserit, *Bartol. in Leg. 1. ff. ad municip. n. 23, Pignatel. tom. 1. consult. 44. n. 4. Perperamque etiam objici dicit defectum pontificiae gratiae, cum ad conditionis implementum satis sit, ipsum ex parte sua adimplevisse, nec propriae culpa tribuendum, si gratiae compendium, quae a Pontificis voluntate pendet, non fuerit intra praescriptum terminum assequutus, Rot. decis. 567. n. 1. part. decis. 14. n. 59. part. 9. et decis. 316. n. 8. part. 16 rec.*

Addit ex juris dispositione praepeditum non fuisse novam Praebendam

optare, priori stallo ac titulo retentis, cum Praebenda sit distincta a Canonica, cui stallum dicitur adnexum, *Gonzalez de Reg. cancell. gloss. 34. n. 12., Lotter. de re benef. quaest. 19. lib. 1. n. 21 et seq., Monet. de option. cap. 7. n. 18, Rot. cor. Falconer. de Benef. dec. 16. n. 13.* Hinc absurdissimum fore asserit, si antiquum stallum, quod ratione suae antianitatis possidet, dimittere cogatur, ut junior seniori praecedat, *Card. de Luc. de Pens. disc. 76. n. 16 et 17., Monet. loc. cit. n. 30., Panimoll. dec. 33. n. 30.*

Nec attendendum actum, quo post installationem adeptique canonicatus possessionem ipse in inferiori stallo et Canonicus Suscioli in priori sederit, cum iste actus tamquam violentae spoliationis, et qui liti causam dedit attendi non mereatur nullumque eidem Canonico Suscioli post praestitum jam installationi assensum jus tribuere poterit. *Posth. de Manuten. observ. 17. n. 44., Rot. cor. Celso dec. 292. n. 3. et rec. dec. 168a n. 2 ad 9.*

Denique observat Canonicum Suscioli excipere de jure Tertii, cum non is sit, qui priorem atque antiquiorem stallum occupare possit, sed Canonicus Stephanus Celluzzi, qui ratione antianitatis eidem praecedit, quique datam semel fidem ratam habuit. Concludit itaque ex hoc etiam capite multo magis rejiciendam omnino esse oppositionem Canonici Suscioli, quia Canonicus Celluzzi, de ejus jure atque interesse agendum esset, acquiescit.

Episcopus in sua relatione rejectis exceptionibus Canonici Suscioli plenissime favet Canonico Nesula et votum suum aperiendo ait: *Quocirca gratiam quam postulat in injunctis precibus, quas EE. VV. remitto, mereri videtur, attento etiam diligenti servitio per tot annos eidem Ecclesiae*

*praestito, nec non impedimento legendi lectiones in Choro aliisque rationibus EE. VV. expositis.*

Optio definiri vulgo solet jus quoddam, quo antiquiores Canonici propria dimissa praebenda aliam vacantem, quae reservata non est, intra certum tempus eligere et consequi valeant, *Monet. de Option. cap. 1. n. 13. Barbos. de Can. cap. 30. n. 1, Scarfantan. ad Ceccoper. lib. 4. tit. 6. n. 1,* Praestat autem distinguere jus ipsum praebendae, quatenus pro titulo Beneficii sumitur, a fructibus ex ea provenientibus, qui nihil Spirituale habent nisi per communicationem et participationem, qua rei spirituae adhaeret, *Monet. loc. cit. cap. 7. quaest. cum aliis.*

Quoties itaque praebenda ita Canonici adnexa est, atque ab eo inseparabilis, ut per utrumque fiat unum individuum, tunc optio praebendae, tituli etiam optionem ac mutationem necessario praesefert. Si vero unio praebendae cum canonicatu sit temporalis et revocabilis, utpote quia, firmo remanente canonicatu, ab eo sejungi valeat, tunc priori canonicali titulo retento, bona tantum canonicatus per optionem mutari possunt, *Scarfantan. ad Ceccoper. part. 3. decis. 34. n. 2. et sepp.* Cum itaque in hujusmodi optione non mutetur titulus canonicatus, sed dumtaxat temporalitas praebendae, illud omnino sequitur, quod Canonicus senior digniorem locum in choro non amittat, *Gonzal. de regul. cancell. gloss. 34. n. 44, Gigas de pens. quaest. 63, Ceccoper. lib. 2, tit. 3. n. 9.*

Quod si optione praebendae mutari etiam aliquando solet locus et stallum in choro, id tamen non sit ratione novi tituli canonicali, quia scilicet locus ille addictus sit canonicatui vel praebendae, sed ratione antianitatis,

quia nempe Canonicus, qui optaverit, ascendit ad stallum superiorem, quod occupabat defunctus, non tamquam de juribus canonicatus et praebendae, sed tamquam de pertinentiis illius, qui uti senior majus Ecclesiae servitium praestitit, *Rot. cor. Emerix. Jun. dec. 743. n. 14 et 15, Rot. dec. 1385. n. 2. part. 3. recen.*

Haec in jura animadvertenda videntur, in facto autem ponderandum quanti habenda sit declaratio Canonici Nesula, qui solemniter protestatus est, non aliter Canonicatus possessionem assequi velle, nisi primum in quo sedebat stallum retineret, et quanti etiam habendus sit Episcopi et Capituli consensus et qui prioris stalli retentionem unanimi suffragio probarunt et admiserunt; hisce autem perpensis videndum:

*An sit concedendum Indultum Canonico Francisco Spiridioni Nesula retinendi antiquum stallum in choro in casu?*

S. C. resp.: Affirmative.

Die 7. et 28. Julii 1770.

Vd. *Canonici Cath. (praecedent.); Sedes Dignitar. et Canonico; Processio (clerus, canonici).*

#### b) *Supernumerar. hebdomad.*

##### Avenionen.

In causa Avenionen. juris sedendi vertente inter Dignitates et Canonicos numerarios Metropolitanae Ecclesiae Avenionen. ex una et Canonicos supernumerarios hebdomadarios nuncupatos ejusdem Ecclesiae partibus ex altera, proponente Emmo Casanate in s. Rituum Congregatione dubium illudque discussum: An liceat Canonicis supernumerariis hebdomadariis nuncupatis sedere in choro immediate post Canonicos numerarios? ex deductis ab utraque parte hinc inde et

informante eadem s. Congregatio respondit: Canonicis hebdomadariis licere sedere immediate post Canonicos numerarios, et ita declaravit.

Die 13. Junii 1682.

(Anal. J. P. 1665 p. 1244 n. 2201.)

#### 8) *Canonico. Cathedr. et Colleg. in Congregat. cassuum.*

##### Fulginaten.

Detrectantes nonnulli ex Clero seculari Fulginatensi interesse exercitationibus, quae pro solutione casuum moralium ad praescriptum Concilii Romani habebantur, postulavit Episcopus ab EE. VV.: *An Clerici omnes hujus civitatis in Sacris constituti, itemque Protonotarii Apostolici non participantes teneantur adesse mensualibus congregationibus casuum necnon accedere ad publicas Processiones?* Exquisito hac super re voto Emmi Cardinalis Borromaei die 29. Aprilis anni 1780 responsum fuit: Posse Episcopum omnes cogere et reluctantes puniri juxta modum a Concilio Romano praefinitum.

Quod a s. Congregatione decisum fuerat exequi curavit Episcopus. Si quidem legem tulit, qua omnes de Clero seculari adegit, ut conventui resolutionum casuum moralium interessent. Ordinarii praeceptum nullas impugnare ausus fuit, verum de ordine et loco sedendi in hujusmodi conventu quaestio orta est. Canonici namque Collegiatae Ecclesiae SSmi Salvatoris, qui in aliis functionibus post Capitulum Ecclesiae Cathedralis caeteros de Clero praecedunt, primum sessionis locum a sinistra Episcopi vindicare contendunt. Restitit eorum praetensioni tum altera Collegiata s. Mariae infra Portas tum Canonici Ecclesiae Cathedralis, qui protestati sunt velle tueri jura Beneficiatorum Capi-

tuli et Parochorum civitatis; quaestionem compescere non potuit Episcopus, hinc habito a Canonicis SSmi Salvatoris recursu ad sacram Congreg. controversia ab EE. VV. modo definienda est.

Fatetur Capitulum Ecclesiae Collegiatae SSmi Salvatoris primum locum deberi Capitulo Cathedralis ejusque Beneficiatis et Mansionariis, cum hi omnes unum corpus constituent ac propterea in capitularibus comitiis protestati sunt praeeminentiam Capitulo Cathedralis non impugnare, verum hujusmodi praeeminentiam supra Collegiatam s. Mariae infra Portas caeterosque de Clero Capitulum SSmi Salvatoris sibi debitam contendit. Inquit enim Concilium Romanum in hisce conventibus demandasse, ut quisque finita l'Orazione si ponga a sedere con ordine. Hunc autem ordinem referendum esse, ne ad simplicem actum sedendi sed ad locum, quo unusquisque adsidere debeat juxta gradum personarum ac praecedentiam unicuique debitam. Hinc infert, quod quemadmodum Canonicis Ecclesiae Cathedralis caeteris dignioribus in Aula Episcopi, ubi exercitationes morales habentur, primus sedendi locus datus est, ita succedere post ipsum immediate debeat Capitulum SSmi Salvatoris, quod in omnibus ecclesiasticis functionibus reliquis de Clero praecedit.

Addit insuper Ecclesiam SSmi Salvatoris insignem esse Collegiatam ideoque illius Canonicis praeeminentiam supra Parochorum Collegium aliosque de Clero saeculari tribuendam esse s. Congr. Rituum definivit in Verulana 11. Decembris 1613 et in Faventina 12. Maii 1616; id ipsum re discussa declarasse die 9. Decembris 1752 quoad Canonicos s. Mariae infra Portas; demum favere contendit immemorabilem consuetudinem; quare injuria modo oppug-

nari, quod tum ex juris dispositione tum etiam ex observantia debetur.

Quin objiciatur exercitationes moralium non esse ex functionibus publicis atque in iis convenire presbyteros non collegialiter congregatos sed uti singulos. Respondet enim, quod actus publicus sit vel privatus, dijudicari debet non a qualitate loci, in quo celebratur, sed ab ejusdem actus natura. Cum igitur in hisce ecclesiasticorum coetibus agatur de rebus ad animarum regimen et ecclesiasticam disciplinam spectantibus, actum publicum certo dici et jure censeri: praeterea advertit, quod Canonicis Collegiatarum etiam non collegialiter unitis, si functionibus ecclesiasticis intersint, adhuc praecedentia debetur, Scarfanton. ad Ceccoper. tom. 1. tit. 14. num. 1 et seq. Tandem concludit, quod quemadmodum dignior locus datus est Capitulo Ecclesiae Cathedralis et Parochorum Collegio, eadem honoris praerogativa tribuenda sit Canonicis Collegiatae SSmi Salvatoris, cum omnes eodem modo et forma exercitationibus moralium quaestionum intersint.

Interpellati fuerunt omnes, qui hac in re interesse habere poterant et licet annus et ultra jam effluerit, nullus tamen unquam comparuit, verum ex folio nomine Canonicorum s. Mariae infra Portas Episcopo porrecto eruitur illorum mens, quod excepto Capitulo Cathedralis et Collegio Parochorum in Congregationibus casuum moralium nemini competat locus distinctus, cum omnes brevi indumento et non unitim illis intersint; caeterum advertunt, quod si petitioni Canonicorum SSmi Salvatoris annuere placeat, eisdem pariter distincto in loco sessio assignari debeat.

Episcopus testatur quod „in decisionibus casuum moralium ex veteris Dioecesis consuetudine praeter eum, qui praees, Canonicos Cathedralis,

Parochos, (quos inter Prior SSmi Salvatoris) et Theologum, qui eos solvit, nemini unquam particularis locus fuit destinatus, addit hanc de sedibus disssentionem subortam componere quoad potui modis omnibus curavi, et cum plenum difficultatibus negotium compererim, infectum reliqui et antiquum morem retinendum censui; demum concludit, ad me quod attinet et si semper novam et inusitatum existimaverim Oratorum petitionem, eis tamen libenter obsecundarem.“

Concilium Romanum anni 1725 tit. 15. cap. 9. enim praecipit, quod tum in civitate tum in dioecesis oppidis quilibet hebdomada exercitationes casuum moralium et sacrorum rituum habeantur, methodo servata synodali, quae legetur in Appendice; in Appendice autem methodo 17. num. 4. de loco sedendi haec habentur: „Finita l'Orazione si porra ciascuno a sedere con ordine la meta per parte, ed in mezzo in faccia al Clero sedera il Prefetto.“

Benedictus XIV. de Synodo Dioecesana lib. 3. cap. 10. num. 7. immediate post Capitulum Cathedralis et Abbates locum sedendi in Synodo tribuit Canonicis Collegiatarum civitatis, ita tamen ut antiquior et dignior Collegiata civitatis praefertur aliis Collegiatis ejusdem civitatis. Ponderandum: an quae de ordine sedendi in Synodo, ubi omnes cum propriis insignibus accedunt, statuta sunt, servari quoque debeant in conferentiis casuum moralium, in quibus quotidiana veste indutus quisque interest. Videndum quanti habenda sit consuetudo et an obstet Canonicis SSmi Salvatoris post legem ab Episcopo latam ex oraculo s. Congregationis, in qua omnes de Clero saeculari civitatis coacti sunt resolutionibus casuum moralium interesse. Hisce animadversis vestrum nunc erit Emmi PP. decernere:

*An in Congregationibus casuum post primum locum assignatum Capitulo et Canonicis Ecclesiae Cathedralis a dexteris reverendissimi Episcopi debeat Capitulo et Canonicis Collegiatae SSmi Salvatoris primus locus a sinistris ejusdem Rmi Episcopi in casu?*

S. C. resp.: Affirmative.

Die 14. Decembris 1782.

#### 9) Canonicor. Colleg. celebr. Episcopo.

Canonici et Archipresbyter Collegiatae Fundanae assistentes Episcopo solemniter celebranti debent sedere in loco aequali et scamno parato ut Canonici Cathedralis etiam quando assistunt in Cathedrali. N. 2694. ad 3 et 5 die 16. Junii 1674.

In functionibus intra Ecclesiam Cathedralis Episcopus provideat pro Canonicis Colleg. Tolentinae de loco decenti. N. 3580 die 30. Apr. 1701.

In functionibus Cathedralis Canonicos Colleg. Surrenti collocandos esse inter alios de Clero in loco digniori post Capitulum Cathedralis. N. 4031 ad 7 die 12. Mart. 1735, n. 4094 ad 7 die 11. Julii 1739.

Vd.: Sedes (Dignit. etc.; celebr. et ministr. etc.)

#### 10) In capella Papae.

Cf.: Sedes Episcop. int. sese in Synodo provinc.

#### De Ordine sedendi in capella Papae.

Summus Pontifex in solio suo pontificali sedet, quod ornatum esse debet cum suo pulvino, aureo panno cum postergali ex colore tempore congruente in capella, in consistorio autem publico etiam cum panno aureo pendente super caput, scabellum majus

simul cum plano solii panno rubro cooperitur et apud magnum scabellum apponitur parvum detectum, quo pro gradu utitur. Hinc inde a dextris et a sinistris sedent super scabella nuda rubro colore depicta Diaconi duo Cardinales assistentes, qui Pontifici serviunt et illum semper deducunt; et debent esse antiquiores Diaconi, id est, primo assumpti. A dextris Papae infra gradum solii Episcopi et Presbyteri Cardinales sedent in scamnis longis cum gradu et postergali pannis, quos vocant Atrebatenses, ornatis. Ea scamna duas fere partes quadraturae Consistorii occupant. In alio scamno sito contra primum scamnum Episcoporum Cardinalium pariformiter ornato sedent Diaconi Cardinales et antiquiores in capite. Quod si Presbyteri Cardinales in suis scamnis ob multitudinem sedere non possunt, sedent in sede Diaconorum, ordine tamen retrogrado, ut antiquiores sint in fine scamni et illorum junior sit post juniorem Diaconum; et hoc modo antiquior Presbyter, qui ultimo sedet in ista sede, videtur continuare post ultimo sedentem in ordine Episcoporum et Presbyterorum. Hoc saepe accidit in Basilica s. Petri, dum in abside sive Tribuna Ecclesiae apud altare majus Divina celebrantur. Quod si forte adest aliquis Princeps, qui sedere solet post Diaconos Cardinales in eorum ordine, ut hoc tempore Despotus Peloponensis, hic sedebit medius inter ultimum Diaconum et ultimum Presbyterum. Si autem ultra duos Assistentes non supersit nisi unus Diaconus, ille sederet post ultimum Presbyterum Cardinalem, in quocumque sedili Presbyter ille sedet. Quod si nullus superesset Diaconus et Presbyteri in suis scamnis sedere non possent, sederent ordine supradicto. Si Imperator Romanorum adest, sedet in sede cum postergali et

parvo scabello viridi ornata, cum suo pulvino et panno aureo viridi, sita inter sedem Pontificis et scamnum Episcoporum Cardinalium; et tunc Diaconi assistentes non sedent in loco consueto apud sedem, sed ante faciem Pontificis in parvis scabellis positiss supra supremum gradum solii pontificalis in cornibus. Reges etiam, inter quos computabatur Imperator Graecorum, sedent, primus, si plures adsunt, post primum Episcopum Cardinalem et alius post secundum et ita deinceps; sic quod semper aliquis Cardinalis, sive Episcopus sive Presbyter, sit medius inter Principem et Principem. Primogenitus Regis sedet post primum Presbyterum Cardinalem. Si Papa celebrat et Rex adsit, sedebit solus in Cathedra nuda inter Cardinalem assistentem Papae et Episcoporum Cardinalium sedem. Fratres autem aut alii filii Regum et reliqui maximi Principes sedent vel inter Diaconos mixtim cum eis, ita tamen, ut unus Diaconus primo sedeat et postea unus Princeps et sic deinceps; vel sedent post eos Diaconi in eodem ordine secundum qualitatem ipsorum. Si nullus adesset Diaconus Cardinalis, sedent eodem ordine inter et post juniores Presbyteros Cardinales. Quatuor vero Patriarchae principales, videlicet Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus et Hierosolymitanus sedere consueverunt inter Episcopos Cardinales, ut supra diximus de Regibus; et in Curia Romana ferebant continuo cappam et faciebant sibi deferre caudas, ut Cardinales; nostris autem diebus et tempore Eugenii IV. neque sedent inter Cardinales neque portatur eis cauda, sedent autem ante assistentes Papae Episcopos non Cardinales et ut assistentes serviunt Papae de libro ac lumine. Alii Principes non ita clari sedent supremo gradu solii Pontificis. Ad sinistram vero

Pontificis in sedibus humilioribus sedent Episcopi non Cardinales assistentes Papae et inter eos Sacrista Palatii apostolici in loco statui suo condeceni; et hoc dico, si est Praelatus, ut semper consuevit esse. Reliqui Praelati sedent in sedibus pro eis ordinatis retro scamna Diaconorum Cardinalium sine gradibus aut postergali. In capella autem s. Petri infra sedilia ipsorum Diaconorum primum locum inter Praelatos obtinet Vicecamerarius deinde Oratores Regum ac Principum Praelati; tum Archiepiscopi, Episcopi, Protonotarii, Abbates, Generales Ordinum et Poenitentarii; sed Protonotarii et Abbates solent habere proprium locum ultimum in ordine; alii supradicti sedent post Episcopos in fine scamnorum. Legi tamen, quod Procurator Ordinis Hierosolymitanorum et Procurator Ordinis Teutonicorum consueverunt sedere post Abbates. Meo tempore non vidi eos sedentes ibi neque alibi, ut Procuratores, sed aliquando gerentes se pro oratoribus sederunt cum aliis Oratoribus. Si autem Vicecamerarius est Protonotarius, cum Praelati habent sacra paramenta, debet tenere primum locum in sedili Protonotariorum et post eum alii Oratores Principum, si sint ejusdem ordinis. Senator, Conservatores et Barones urbis atque alii Proceres supradictis primis inferiores sedebunt in secundo et tertio gradu solii pontificalis pro eorum qualitate. Primum inter istos Senator locum obtinebit. Oratores Caesaris, Regum, Principum et Potentatum, qui sunt Praelati, sedent ordinarie post scamna Episcoporum sive Presbyterorum Cardinalium ante faciem Pontificis sedentis, nisi ibi sit altare aut in s. Petro et similibus locis, fiunt quasi duae alae Officialium, incipientes infra gradum solii hinc inde et simul conjunguntur ante faciem Papae in capite scamni

Diaconorum Cardinalium et hi omnes Officiales sedere debent in terra super pannos viridos, qui cooperiunt solum capellae; etsi nostro tempore, qui a sinistris sunt, usurpaverunt sibi sedes super gradum ipsius capellae in Palatio apostolico, qui vero sunt a dextris, sedent in terra sine aliquo sedili secundum antiquas et debitas caeremonias, quamvis sint digniores, quod profecto rationi non congruit. Hic ordo sedendi super terram confunditur etiam in capella s. Petri post tempora Pauli secundi. Nam tunc nemo ipsorum audebat sedere aut in gradibus capellae Palatii aut in gradibus solii pontificalis in capella s. Petri, nisi in ultimo tantum gradu. Ordo autem sedendi in ipsis talis est. Subdiaconi primum, deinde Auditores Rotae, Clerici Camerae, Acolythy, Cubicularii, Secretarii, Advocati simul, et qui alas conjungunt ante faciem Pontificis. Subdiaconorum antiquior primum locum obtinet a dextris, secundus primum locum a sinistris, tertius secundum locum a dextris et quartus secundum locum a sinistris et sic deinceps. Ex Auditoribus Decanus Rotae servit de Mitra et sedet inter Cubicularios secretos in capella Palatii et locis similibus. In Ecclesia autem s. Petri sedet super gradum secundum aut tertium non longe a pedibus Diaconi Cardinalis a dextris, ut commodius possit ministrare Mitram. Antiquior ex aliis primum locum tenet a dextris post Subdiaconos, tertius primum locum a sinistris post eosdem. A dextris post primum Auditorem locum tenet Magister s. Palatii, qui, ubicumque Ordines Curiae conveniunt, si adest, sedet vel stat post unum ex Auditoribus; et si unus tantum adesset vel si omnes adessent, unus tantum ex eis praecedat Magistrum s. Palatii et ita vidimus semper servari. Sequuntur deinde hinc inde alii Audi-